DE

TRISMO,

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

HONORES

LEGITIME CAPESSITVRVS

A. D. III. MARTII CIↃIↃCCC.

1800

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

IOSEPHVS CZEKIERSKI

VARSOVIENSIS.

Frankfurt a/O.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO ILLVSTRI

DOCTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

CHRISTOPHORO KNAPE,

MEDICINAE DOCTORI EIVSQVE IN COLLEG. MED. CHIRVRGIC. BEROLINENS. PROFESSORI, SVPREMI COLLEG MEDIC. ET SANITAT. CONSILIARIO, ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOSOR. ACADEMIAE SCIENTIAR. ELECTORALIS MOGVNTINAE SOCIET. REG. SCIENTIAR. ET ART. FRANCOFVRTENSIS NATVR. SCRVTATOR. HALENS. ET IENENS. NEC NON OECONOM. MARCH. BRANDENBVRGENS.

SODALI,

PRAECEPTORI AC FAVTORI

SVO

AD CINERES VSQVE COLENDO

HANC

ACADEMICAM DISSERTATIONEM

IN

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIVM

OMNI PIETATE

OFFERT

AVCTOR.

§. I.

Musculorum motum contra voluntatis imperium quandoque tam fupprimi, quam augeri et accelerari poffe, ab antiquiffimis temporibus iam obferuatum fuit. Alterum τετανον alterum σπασμον Graeci appellarunt. Aft varia medicorum de natura morborum huc pertinentium opinio neque minus affectionum fpasmodicarum vehementia et extenfio, in aliis alia, tantam nominum commutationem effecit, vt vix vbique fpasmum, conuulfionem et tetanum in fcriptis medicorum bene difcreta invenias. Quocirca fini haud abfonum fore crederem, fi de horum vocabulorum fignificatione et differentia paucis dicam.

Antiquiores viros σπασμον f. conuulfionem a *tetano* difcreuiffe, iam Celfo auctore difci poteft, vtpote qui hoc mali genus rigonem, illud autem diftentionem neruorum, id eft tendinum, vocauit. Hac autem differentia poftmodum a fcriptoribus medicis fenfim neglecta, STAHLIVS eiusque difcipuli eam denuo ftabilire conati funt, fed adeo a vetuftioribus medicis fe deflexerunt,

runt, vt spasmi significationem amplificantes illam conuulsionis angustam relinquerent. Hinc euasit spasmi, tonici, s. tetani, et clonici, s. conuulsionis differentia, ad nostra vsque tempora a plurimis reseruata. Quam diuisionem postea quoque sequutus GAVBIVS, a) spasmum stricte dici *continuam* musculorum contractionem, conuulsionem vero *alternantem*, vtrumque autem affectum ad spasmum in genere reducendum esse, monuit. Quum vero ab antiquissimis temporibus conuulsionis eadem ac spasmi fuerit significatio, neque latior neque strictior, nullum omnino vtriusque vocis discrimen locum habet. Quare Peril. v. SWIETEN b) contra longe Celleb. BOERHAVIVM, qui violentam, inuitam et *alterne repetentem* musculi contractionem conuulsionem esse dixit, iure monet, hanc vocem etiam, generali magis significatione, aequalem contractionem, *diu et sine alterna remissione vrgentem* denotare posse. Cuius viri immortalis monitis vsus Perill. SELLE c) omnem conuulsionem, vel inuoluntariam

a) Vide eius inst. pathol. med. §. 743. et 748.

b) Vide eius Comment. in BOERHAVII Aphor. §. 230. sub finem.

c) Vide eius Med. clin. Berl. 1796. p. 333.

tariam musculorum contractionem, in tonicam, et clonicam distribuit, quarum alteram τετανον alteram σπασμον veteres nominarunt. Quare, trismum morbis conuulsiuis iure annumerari posse, crederem.

§. II.

Morbi denominatio.

Quamuis vocabulum *trismus*, a τρίζειν s. τρύζειν i. e. strideo subortum, in sensu latiori quemlibet stridorem denotat, illud tamen a medicis antiquioris aeui in varia significatione vsurpatum fuisse, constat. Sic HIPPOCRATES a) et CAELIVS AVRELIANVS b) ventris crepitum et murmura, PROSPER ALPINVS c) aurium sonitum hoc nomine denotarunt. Verum GALENVS d) primo eandem vocem ad significandum dentium stridorem ex spasmo maxillae in-

a) Vide in prognost. Conf. GALEN. lib. I. de symptomatum caussis cap. 3.

b) Chron. morb. lib. IV. cap. VI. p. 323. in Tom II. opp. HALLER.

c) De praesagienda vita et morte aegrotorum lib. II cap. 2.

d) De symptomatum caussis lib. II. cap. 2.

inferioris enatum adhibuit, quem poſtea HERCVLES SAXONIA, SAVVAGES et RAHN ſecuti ſunt. Cl. ACKERMANN, a) horum virorum auctoritate minus, quam vocis vi et ſymptomatibus eſſentialibus hoc in morbo conſpicuis commotus, nullam ſane morbi noſtri denominationem aptiorem inueniri, iure contendit. Ex illo tempore factum eſt, vt recentioris aeui medici eundem morbum, qui Anglice LOCK' d GAW, Gallice MAL DE MACHOIRE, Germanice *Mundklemme*, *Mundſperre*, *Kapzaum* et a quibusdam *capiſtrum* vocari ſolet, communi trismi nomine comprehendant.

§. III.

Morbi decurſus, diagnoſis, et diuiſio.

Morbum noſtrum eſſe vetuſtiſſimum, inde patet, quod, eum iam HIPPOCRTI innotuiſſe et ab eo σιαγόνον συναγογης b) nomine inſignitum eſſe, legimus. Malum hoc, etſi quemlibet ſexum, gentem ac aetatem in-

---

a) S. deſſen Abhandlung über die Kenntniß und Heilung des Trismus. Nürnberg 1774. p. 4.

b) De diaeta in morbis acutis §. 37.

inuadere poſſit, Americanos tamen magis quam Europeos, itidemque infantes ſaepius quam adultos infeſtare ſolet. Quin in regionibus depreſſis iisque humidis, praeſertim inter Zodiacos ſitis, tantum imperium exercet, vt ne brutis quidem parceat. Sic equos adeo et pſittacos ibi hoc malo correptos eſſe traditur. a) BONTIVS b) qui in Pauia medicinam diu exercuit, item malum ibi frequentiſſimum eſſe affirmat. Et veri ſimile eſt, cum trismus pro varia, quos inhabitat, locorum natura variam formam ſaepe induere poſſit, tam illum morbum, qui in Zeylone Inſula ſub nomine Crampe ſ. ſpasmi κατ᾽ἐξοχην obſeruatus eſt, quam illum, qui Sarrette vocatus Galliae partem inhabitat, vti ex iisdem, ac trismus, cauſis enati ſunt, ita ſimilem etiam medelam admittere.

Varias in ſpecies morbus noſter diſpeſci ſolet. Ratione typi, eſt vel continuus, vel intermittens; cauſſae autem ratione habita, bilioſus, verminoſus, putridus, exanthematicus, maniacus, epilepticus, traumaticus, rheumaticus, &c. vocatus eſt.

Cl.

---

a) C. BAJON memoires pour ſervir a l'hiſtoire de Cayenne &c. 1778. Tom. I. p. 141.

b) S. Baldinger Neues Magazin für Aerzte 9. B. 5. St. p. 415.

Cl. Ackermann, qui de trismo copiosissime disseruit, aliam adhuc diuisionem, in *tonicum* videlicet et *clonicum*, in medium protulit; neque tamen in hac re eidem assentio: et quidem non solum quia de trismo clonico ceteri scriptores tacent, sed etiam quoniam si vere obseruatus esset, proprium tamen, spasmi cynici instar, mali genus constitueret. Omissis igitur omnibus hisce distinctionibus, vt minus necessariis, notare sufficiat, morbum nostrum modo idiopathicum, modo symptomaticum esse, (quorum ille caussae proximae, hic remotae inprimis considerationem requirit,) in vtroque autem aetatis haberi rationem debere, qua inter *trismum infantum* et *trismum adultorum* exoritur distinctio. Sed ob spatii angustiam pauca tantummodo de trismo in genere et de traumatico in specie in medium proferre licet.

Trismum antecedere solent, praeter dolores partis affectae: nausea, vertigo, sopor, asthma, anxietas, oculorumque obfuscatio. Trismum traumaticum inprimis oscitatio, tussis, oppressio pectoris dolorifica atque apositia plerumque praenunciare solent. Interdum tamen sine omnibus prodromis maxilla inferior vel subito obrigescit, vulnere, si quod inflictum erat, saepius iam sanato neque amplius dolente,

lente, quamquam etiam trismi a doloris vehementia ſuborti multa exſtant exempla.

Infantes neonati, trismo laboraturi, iam aliquamdiu ante eius inuaſionem, vagitibus continuis, facie rubra et calida, excrementis aluinis viridibus et ſpumantibus, ſomno inquieto, oculis contra voluntatem lacrymantibus corporisque laſſitudine notantur; ſubito ſugendi difficultas inuadit, adeo vt lac maternum ore vix receptum inter tuſſim per nares reddatur, quo facto demum buccae tumidae obrigeſcunt, maxilla inferior ſuperiorem verſus ita adducitur, vt vix duarum linearum ſpatium inter ſe relinquant, et aegrotuli vagitum antea continuum edere ſoliti, eum nunc omittunt, quem tamen denuo eo acerbius repetunt. Plerumque pupilla oculorum immobilium dilatata, reſpiratio anxia, aluique obſtructio apparet, donec tetani vel vniuerſalis, vel partialis paroxysmus malo ſuperuenit. Nunc dysphagia enaſcitur, quam ſaepe motus articulorum irregulares, tendinum circa genas ſubſultus, ſomnus interceptus et tenacis ſaliuae inuoluntarius effluxus comitantur. Inter haec ſymptomata aegrotuli nono plerumque die poſt primam inuaſionem exſpirant. Ceterum trismus infan-

infantum ſaepius epidemicus vel endemicus, adultorum magis ſporadicus eſſe ſolet. In his plerumque malum a colli rigore et ſtrangulatione dolorifica incipit, maloque ſenſim latius ſerpente, oeſophagus adeo ſtrangulatur, vt aegroti potulenta quidem ore recipere, neque tamen deglutire valeant. Demum cauum oris firmiter clauſum nullius cibi potusue ingerendi aditum admittit, quo facto malum ſubito in peius vertitur. Dentes ſtridere, quin vitri inſtar diſſilire poſſe, METZLER a) teſtatur. Hinc vbi non ſucurritur, aegroti orthopnoea et ſiti inſatiabili excrutiantur, donec multis ſudoribus et conuulſionibus exhauſti exſpirant.

Pulſus in deflebili illo ſtatu tardus atque debilis eſt, facies pallida, nares acutae, excretiones alui et tranſpiratio cutanea impeditae ſunt, ſomno inquieto nihilque leuaminis adducente. Vrinae eiusque aquoſae parum redditur. Exitus morbi varius eſſe ſolet, crebrius tamen morte, quam reſtituta ſalute finitur. Saepius malum quidem diſparet, ſed paralyſin manentem relinquit. Quandoque trismus in febrem tranſire, et, refrigerio ſubortus, tumoribus rheumaticis vel ſudore

---

a) S. Baldingers Neues Magazin für Aerzte 9. B. 5. St. p. 418.

ſudore finiri ſolet. a) Mortem ſemper opiſthotonos, vel tetanus vniuerſalis antecedere ſolet, neque vllum ſine hoc trismo necatum ſe vidiſſe, Cl. ACKERMANN teſtatur.

§. IV.

Prognoſis.

Quamquam HIPPOCATE et CELSO teſtibus morborum acutorum non omnino certae ſunt praedictiones, haec tamen circa trismi exitum praeſagiendum praecipue conſiderari debent:

I. Virium conditio. Cum enim trismus morbus ex debilitate ſit, eo infeſtior ille eſſe ſolet, quo magis corpus affectum jam antea debilitatum fuit.

II. Aetas. Mali ſemper ominis eſt trismus infantum, neonatorum enim eo correptorum vix vllum ſeruatum eſſe, conſtat. b) Subito iugulantur omnes tenelli, quos modo

a) G. Kühns und Weygels Italieniſche Bibliothek B. 1. pag. 226.

b) V. Brendel Progr. de ſpasmo maxillae inferioris infantili. p. 189. et Cleghorn Beob über die epidemiſchen Krankheiten auf der Inſel Minorca p. 87.

modo vtero exclusos trismus inuadit; a) ast raro illi afficiuntur, qui nonum vitae diem incolumes superarunt. b) Neque minus, malum quo diutius iam hominem vexauerit, eo curabilius fore, inde veri simile est, quod HILLARY vidit, c) nonnullos aegrotos, qui ad vndecimum vsque diem post primam inuasionem seruati sunt, intra paucas septimanas pénitus curatos esse. Raro autem morbus, morte imminente, diutius tribus diebus vrget.

III) Climatis ac tempestatis ratio. Haec quidem maxime ad rem facere videtur Regiones montibus et syluis circumseptae securiores esse, quam perflatum marinum habentes, BAION obseruauit, d) qui etiam docet, omnes tetani species eo frequentiores esse, quo proprior terra lineae est.

IV. Symptomata concomitantia. In quibus deglutitio prohibita et respiratio] difficilis praecipue notari debent, quia haec sym-

a) BARRERE nouvelle relation de la France equinoxiale &c. p. 71.

b) *Pouppe des portes* histoire des maladies de Saint-Domingue, Paris le Pay 1770. Tom. I p. 159.

c) Ueber die Krankheiten in Barbados p. 266.

d) V. Memoires pour servir a l'histoire de Cayenne &c.

ſymptomata epiſthotonon, vel emproſthotonon ſuperuenientem ideoque mortem praeſagire experientia docuit. In trismo traumatico gangraena partis laeſae, et in qualibet alia huius mali ſpecie mentis ſenſuumque ſtupor, peſſimum exitum nunciat; e contra mentem ſanam habere, laethum ſignum eſt. Febris ſuperueniens vel ſalutem inſtantem, vel mortem indicat. Peſſimi ominis eſt alui excretio plane ſuppreſſa, peior tamen diarrhoea biliosa trismo rheumatico accedens. Vrina aquoſa et pellucida, morbum pertinacem fore, indicat. Bonum autem exitum promittunt, deglutitio facilis, vrina turbulenta rubramque deponens materiem, alui excretio ea aliquantulum frequentior, quae in ſtatu ſano ſieri ſolet, ſudores lenes, vel puſtulae in cuti apparentes. Quandoque abſceſſu, vel vomitu, vel exanthemate vltro ſuborto malum finiri ſolet. In genere omnis tetanus, ideoque etiam trismus quicunque ſemper periculoſus eſt, et plerumque non niſi morte finitur, cuius rei veritatem iam HIPPOCRATES a) intellexiſſe videatur, tetanum intra quatuor dierum ſpatium occidere docens.

§. V.

a) Aphor. V. 6.

§. V

Aëtiologia.

Quamquam a variis auctoribus de trismi reliquarumque conuulſionum cauſſa proxima iam multum diſputatum fuerit, nihil tamen certi hucusque inde euaſit. Baion, a) principium quoddam acidum, tranſpirationem cutaneam ſupprimendo morbum ciere, opinatur, cui vero ſententiae mere precariae aſſentire nequeo. Ceterum omnes fere ſcriptores ſentiunt, ſingularem ſyſtematis neruoſi affectionem conuulſionibus oriundis ſubeſſe. Quod autem trismum in ſpecie attinet, eum ex inſigni neruorum oris cum omnibus fere corporis partibus ſympathia explicari poſſe, crederem. Etenim nulla propemodum extat valetudinis mutatio, quam vultus haud proderet. Sic vermium, acrimoniae primarum viarum omnisque doloris notae primae in facie apparent; quod, hanc partem prae caeteris ad ſpasmos inclinare, oſtendit. Cur autem partium a capite longe remotarum affectiones, tantam in oris muſculos habeant poteſtatem, ex ſola nerui intercoſtalis connexione multiplici deriuari debet.

Inter

a) l. c. p. 151.

Inter cauſſas remotas recenſeri debent omnia ea, quae ſyſtema neruoſum ideoque etiam muſculoſum fortiter afficiunt. Huc pertinent:

1) Vulnera omnis generis, praeſertim tamen nerui duri, vel eius rami ad maxillam inferiorem tendentis laeſio itemque funiculi ſpermatici inter caſtrationem ſubligatio. Multum vero omnino refert, qualem laeſionem pars patiatur, conſiderare. Etenim, neruum vel tendinem integre diſciſſum paralyſin fere ſequi conſtat; partibus vero hiſce leuiter tantum vulneratis, imo ſolo tendinis inuolucris ſuis nudati attactu, multo acerbiora mala fiunt. Tetani hoc modo ſubito enati exemplum Cl. V. SWIETEN a) retulit. Hominem ex medicamento erodente, tendini nudo adhibito, opiſthotono funeſto correptum vidit HIPPOCRATES. b) In genere autem cuiusuis partis ſenſibilioris laeſio ad iſtud malum generandum ſufficit. c) Neque minus ſanguinis iacturae et materiae vel corporis irritantis in vulnere haerentis

a) Comment. in BOERHAVII Aphor. T. I. §. 164.

b) Epid. Lib. V. Charter Tom. IX. p. 348.

c) V. ACKERMANN l. c. p. 64 — 82.

tis ratio haberi debet, eo magis, cum plurium medicorum obſeruationes docuerunt, a) tetanum et trismum ſat grauem nonnunquam vulneribus leuioribus et quidem iam diu ſanatis ſuperuenire, quod etiam hiſtoria morbi huic diſſertatiunculae adiecta teſtatur. b)

II) *Tempeſtatis et climatis ratio ſingularis.* Praeſertim calor immodicus ad malum generandum confert, inprimis ſi eum ſubitum frigus excipit, quod Baion c) ſaepe numero obſeruauit. Attamen vel calor ſolus id mouere poteſt, quod aliis cauſſis iunctus maxime mouet, hinc efficitur, vt in regionibus calidioribus Indiae occidentalis trismus infantum endemicus eſſe ſoleat d)

III) Aër frigidus, isque praeſertim a mare veniens, quam cauſſam morbi noſtri va-

len-

a) S. Baldinger Neues Magazin für Aerzte 9 B. 5. St. p. 428. itemque ACKERMANN l. c. p. 22.

b) In Zonis calidis tunc maxime vulnera a tetano excipi, traditur, cum inflammatio nulla ſuperuenit, caueri autem malum, vbi illa laeſionem ſequitur. REIL Fieberlehre 2. B. 267.

c) RICHTER l. c. 5. B. 2. St. p. 165. POVPPE Desportes hiſtoire de maladies deS aint Paris 1770. T. I. p. 162.

d) Conf. ACKERMANN l. c. 65.

lentiſſimam eſſe, Baion a) obſeruauit. Verum, etiam aëris aditus liber iam per ſe tantam in corpus inſolidum habet poteſtatem, vt trismum gignere poſſit, quam quidem ob rem in inſulis Americanis, ad Galliam pertinentibus, citra tempeſtatis calidiſſimae ibi vrgentis reſpectum, neonati per nouem dierum ſpatium in conclaui bene clauſo tenentur, priusquam aëris iniuriis exponuntur.

IV. Aër corruptus et incluſus. Hac enim ex cauſſa plurimos infantes in brephotropheo Dublinenſi ſub finem anni 1782. tetano affectos eſſe atque expiraſſe, certum eſt. b) THEDEN nullum ex vulnere trismum in iis noſocomiis ſubortum vidit, e quibus ſqualores et foetores ſedulo remouebantur. c)

V. *Tranſpiratio ſuppreſſa.* Tetanum et trismum inde oriri poſſe, HILLARY, LANGHANS et WEIKARD, viri clariſſimi, teſtantur. Eandem poteſtatem exanthemata retropulſa habent.

 VI.

a) RICHTER l. c. B. 2. St. p. 165.

b) Conf. CLARKE Von den Krankheiten der Neugebornen Kinder in Entbindungshäuser zu Dublin.

c) S. Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneikunde und Medizin. Abschn. 24. p. 161.

VI. *Animi affectus deprimentes*, inque primis terror, cuius exemplum EDVARDVS SPRY a) retulit.

VII. Venena, tam mineralia, quam vegetabilia fere omnia, quae extant. Sic MATHIOLVS memorabilem hiſtoriam plurium hominum, ex vino, cui nebulo quidam Belladonnam immiſcuerat, inter coenam hauſto, trismo correptorum, poſteritati reliquit.

Circa trismum infantum praeter eas, de quibus modo dixi, cauſſas adhuc conſiderari debent:

I. *Meconium retentum*, b) cuius praeſertim in Hungaria ratio habetur. c)

II. *Irritamenta mechanica*, praeſertim cura funiculi vmbilicalis neglecta. Seruorum in India occidentali vxores, tenellos ſuos, e ſeruitio eripiendos, funiculum illum ſaepius attrahendo tetanodes reddidiſſe, fertur.

III. *Sordes gaſtricae*, inque primis vermes, quorum praeſentiam, fere ſemper convulſiones leues muſculorum oris, inter ſomnum conſpicuae manifeſtant.

IV.

a) Philoſophical transactiones Vol. 57.

b) Conf. RVSCH in Richters Med. Chir. Bibliothek 9 B. 3. St. p. 693.

c) Conf. ACKERMANN l. c. p. 89 — 91.

IV. *Lac maternum*, ex indigeſtione, refrigerio vel animi affectibus deprauatum, quod cl. ACKERMANN a) ſatis confirmauit.

§. VI.

Curatio.

Haec quidem in *prophylacticam* et *radicalem* diſpeſcitur, quarum illa huic ſemper praeferri debet, cum morbo iam ſuborto parum ſalutis ſperari queat. Quibus autem remediis malo tam atroci nondum enato occurri poſſit, partim iam ex cauſſis enarratis quodammodo patet.

Triſmo infantum praecauendo in primis inſeruit I. lactis ad ſugendum minus apti correctio, quae alimentis ſatis nutrientibus remediisque aptis nutrici datis obtineri poteſt. Ceterum ſemper cauendum, ne nimis debilis matris vbera ſugat, inprimis vbi ea iam plures peperit infantes, qui triſmo obierunt; neque mater refrigerium modo perpeſſa, vel ira alioue animi affectu commota infanti tenello mammas praebeat, II. *Aëris perfrigidi eiusque humidi* ad corpus tenelli aditus liber omnino aeque vitandus ac

a) L. c. p. 32. ſeqq. et p. 92.

ac corrupti et inclufi influxus. Haud minorem obferuationem in neonatis III. *funiculus vmbilicalis* requirit, vtpote quem fedulo exprimere nonnulli fuadent, quoties mali venturi indicia vrgere coeperint, et Cl. BAION, fe in Infula Cayenne dicta, vbi trismus magis quam alibi et fere femper epidemice regnare folet, plurimos infantes fic morti ereptos vidiffe, teftatur. Adhibetur quidem hoc remedium ita, vt priusquam funiculus vmbilicalis ligatur, ex ea parte, quae inter vmbilicum et ligaturam eft, leni compreffione omnis cruor euacuetur. Porro IV. meconium, quo primae viae faepe turbantur, fedulo euacuandum, cui fini optime inferuit linctus ex tinctura Rhei aquofa, liquore terrae fol. tartari et fyrupo de Cichorio.

Sed et in adultis, vbi trismi metus fubeft, morbo erupturo occurrere poffumus, cui rei, praefertim in vulneribus, emollientia externe adhibita, munditiés, quies, atque internus remediorum antifpasmodicorum vfus optime inferuiunt.

Trismo autem iam fuborto, duplicem indicationem fequi debet medicus; alteram cauffam remotam, i. e irritamenta, quatenus auferri poffint, remouendi, alteram fenfibilitatem nimiam et effectus cauffae irritanti horrendos compefcendi. Irritamentorum

torum confideratione in trismo traumatico praecipue opus eft. Hinc morbo pertinaciter vrgente, vulnus nondum claufum fedulo explorari debet, vt etiam in abfentia corporum irritantium inquiratur, quales inprimis partes, et quomodo laefae fint. Saepe enim accidit, vt nerui, vel mufculi, ex parte modo diffecti, aut lacerati, fibris adhuc integris relictis diftrahantur. Quod vbi eft, cultro penitus diducenda erit pars vulnerata, quod iam recte CELSVS a) docuit. Quodfi enim, inquit, mufculus laefus videbitur, praecidendus erit; nam percuffus mortiferus eft, praecifus fanitatem recipit. Saepe adeo, vbi partes vicinae adhuc integrae, vel alia impedimenta diffectionem prohibent, non nifi amputatione, fi in brachiis vel cruribus cauffa latet, malum tolli poteft; ad quod auxilium maxime confugiendum effe videtur, cum gangraena in vulnere, quod trismum adduxerat, oriri folet. b) Vbi autem, quod interdum fieri folet, fanguinis nimia iactura morbum fecerit, aegrotus, quantum fieri debet, iufculis carnium, vino hisque fimilibus ali debet. Ceterum, vbi vulnera abfunt, aliorum irritamentorum, quorum in cauffis mentionem

a) L. V. C. 26.

b) C. f. ACKERMANN l. c, p. 144.

nem feci, ratio haberi debet, inque primis ſordium primarum viarum, quibus remotis malum, ni penitus auferri, leniri tamen poteſt. Hinc euacuantia primarum viarum, clyſteres inprimis, cetera remedia ſaepe antecedere debent.

Verum enim vero multis in caſibus, cauſſa irritans adeo latet, vt huic inſiſtere fruſtraneum foret, quo in caſu a ſolo antiſpasmodicorum et roborantium vſu auxilium petendum eſt. Primo ſane loco inter omnia remedia in trismo vtilia Opium haberi debet; quod tamen ſufficiente doſi porrigi, crebriusue repeti debet, vt ſalutem adferre poſſit. Sic ROBERTVS WHYTT, 330 granis huius remedii puri ſenſim adhibitis, demum leuamen ſequutum eſſe, vidit. Sed et externus huiusce medicaminis vſus prodeſt, quem dentibus carioſis a) et vulneribus valde dolentibus malum profligaſſe, conſtat. Item clymata et laudanum interne ad duas drachmas ter quotidie datum trismo cum opiſtholono et ſymptomatibus paralyticis complicato inſignem opem tuliſſe, WILMERS b) teſtatur. In de-

a) Conf. Darwin Zoonomie überſetzt von Brandis 2. Theil 1. Abth. p. 633.

b) Cales and remarks in Surgery &c. conf. RICHTER l. c. 5. B. 4. St. p. 581.

declaranda autem ratione, qua opium leuamen adferat, medici inter ſe diſſentiunt. Etenim BOERHAVII aſſeclae opium debilitando et ſopiendo agere, affirmant, cui autem opinioni ſequentia obſtant argumenta:

a) Quamquam vſus eius internus debilitatem relinquere ideoque trismo compeſcendo minus idoneus eſſe videatur, nemo tamen facile effectum eius ſecundarium pro genuino habebit neque auxilium exinde petet. Cum enim propatulo ſit, omnium remediorum excitantium vſum ſubito omiſſum mentis inertiam muſculorumue languorem ſequi, hercule non video, cur opium ſolummodo ex eorum claſſe excludi debeat? Immo opium prae ceteris irritando agere atque mentis aeque ac corporis agilitatem primario augere, omnia phaenomena opii vſum excipientia teſtantur. Hinc iure concludo, hocce remedium, ſi forſan minus reſponderit a) vbi alia remedia e. g. cortex Peruuianus c. v. optatiſſimum exhibuere effectum, haud ipſum accuſandum eſſe, ſed doſin potius, quo porrectum fuit, compeſcendis ſymptomatibus forſan nimis inparem fuiſſe.

b)

a) Conf. RICHTER l. c. 6. B. 3. St.

b) Cum ex omnibus, quae in trismo obfervantur, cauffis et phaenomenis pateat, eum ad morbos ex debilitate oriundos referri debere, haud exiguum errorem illi committant, qui debilitandi fcopo opium aegrotenatibus fumendum praefcribunt. Hic enim effectus quaefitus, fi obtineretur, malum certo augeret.

c) Vel falutaris aliorum remediorum in hoc morbo effectus, vim opii excitantem confirmat. Cum enim DARWIN a) vinum, eumque praecipue cortici Chinae infufum, quibusdam in cafibus efficacius opio fuiffe, confirmat neque quis vinum in debilitantibus rebus vnquam referat; ea, quae de hoc, vt remedio minus excitante, valeant, eo magis valere puto de opio, quod exigua dofi fumptum iam magnam poteftatem habet. Praeter haec remedia, modo memorata, infignis adhuc aliorum copia commendata eft, quorum tantum praeftantiffima nominare liceat His annumero:

I. *Purgantia calida*, quae quidem non folum in trismo infantum a meconio fuborto, fed etiam in acore primarum viarum, cauffa huius mali frequentiffima, infignem effectum

a) L. c. p. 634.

effectum praeſtant. a) Neque tamen haec diu et magna doſi adhibita ſalutem promittunt. Medici Indiae occidentalis trismum tinctura rhei aquoſa moſcho aucta ſaepe profligare dicuntur.

II. *Diaphoretica*, e quibus BAION b) ſingularem frugem ſperat, cum, tetanum ex ſudore ſaepius magis leuatum fuiſſe, obſeruaſſet. Neque tamen ſudorem ipſum ad curationem mali aliquid conferre, immo potius nocere putarem, cum, quamlibet contentorum euacuationem vires comminuere, certum ſit. Verum, effectus horum remediorum primarius omnino ſpem alit iucundiſſimam; ea enim excitando prius agere, quam ſudorem ciere valent, ſatis manifeſtum eſt.

III. *Balnea*, eaque quidem frigida, aliis remediis iam fruſtra adhibitis, quouis quadrihorio repetita, intra paucorum dierum ſpatium opem tuliſſe, immo malum penitus ſuſtuliſſe, WRIGHT c) aſſerit atque quinque caſibus enarratis confirmat.

Qua autem ratione medelam effecerint, iis tantum patebit, qui applicationem

a) Conf. RICHTER l. c. 9. B. 3. St. p. 394.

b) Conf. Eiusd. l. c. 5. B. 2. St. p. 165.

c) Conf. Eiusd, l. c. 9. B. 3. St. p. 380.

nem aquae frigidae momentaneam a continua discernere nouerunt. a) Hanc debilitare ideoque morbum augere, illam roborare, eique solummodo in trismo locum concedi posse, affirmarem. Quoties enim frigus in vllam corporis nondum penitus exhausti partem agit, toties natura aequilibrium temperaturae inde sublatum restituere conatur. Hinc principium caloris, quo quidem homo viuus nunquam caret, ex legibus physicis a centro ad peripheriam semper vergens, locum affectum transitu suo roborat; et hac ratione frigus omnino salutare fieri posse, mos hodiernus, quem angli respectu balneorum frigidorum vsus obseruant, probare videtur. Etenim hi eo, quod se in aquam subito immergunt neque diu in ea manent, musculorum roborem augere student, neque hac in re falluntur. Verum enim vero balneum frigidum diu et sine intermissione adhibitum, principium caloris, vt fibrae solidae fortissimum incitamentum adeo exhaurit, vt nihil amplius reactionem ciere valeat. Quid? quod iam *Aëtius*, *vitandam esse longiorem in solio frigido moram* dixerit. Quamquam igitur

a) Joseph Franks Erläuterungen der Brownischen Arzneilehre p. 36.

igitur multis iisque clarissimis viris haec recentionrum sententia minus placeat, tamen monere liceat, vim frigoris tonicam, fibras adstrigendo roborantem, multo minus elucere; quod enim si verum esset, in trismo, vt morbo spastico ideoque ex illorum opinione a nimia fibrarum constrictione suborto, nullum a balneis frigidis auxilium sperare liceret. Fugiendum igitur potius esset tale remedium, quod fibram iam adstrictam magis adhuc adstringeret; nisi mauelis in trismo fibrarum relaxationem supponere. Ex quibus omnibus non frigidorum, sed calidorum magis balneorum hoc in morbo praestantia elucebit.

IV. *Inunctiones mercuriales.* Has quidem, balneo frigido atque opio simul adhibitis, in casu quodam medelam effecisse, DRAMMOND narrat. a) Quomodo autem fructus exinde sperari queat, non video, nisi forsan miasma venereum in corpore aegrotantis lateat, quo quidem in casu inunctiones illas, teste RIVERIO, b) opem tulisse, scimus.

V. *Linimenta volatilia,* addito opio, dorso et prope articulationem maxillae inferioris sedulò

a) Richter Med. Chir. Bibl. 9. B. 3. St. p. 381.

b) Conf. ACKERMANN l. c. p. 108.

sedulo infricanda. Sed vel solae frictiones partium superiorum iam insignem opem ferre possunt, adiuncto praesertim balnei calidi vsu.

VI. *Spiritus Terebinthinae.* Hunc linamento carpto infusum et vulneri ante dilatato adhibitum commendat Darwin. a)

Haec tamen remedia cuncta opio recte adhibito locum cedere, non plurimis solum scriptorum celeberrimorum testimoniis, sed adiuncta etiam morbi historia, quam paucis narrare liceat, euincitur.

§. VII.

Obseruatio I.

Vir triginta circiter annorum, mense Augusto anni praeteriti in nosocomium Reg. Berol. a charitate sic dictum, delatus trismo, praeterque eum emprosthotono et opisthotono alternantibus laborauit. Quem cum duce PERILL. FRITZIO curandum suscepissem loquendi impotem factum, vxor eius narrabat: „eum ex festuca in eo loco, qui „inter musculum opponentem et flexorem „pollicis est, manui infixa sed illico ex„tracta, vulnere insuper leui post triduum „elapsum iam sanato, mox dolorem spas„modicum musculos dorsales occupantem „et sensim ad maxillam vsque tendentem sensisse

a) l. c. p. 634.

„ſenſiſſe; hanc demum adeo immobilem „factam eſſe, vt ne cultri mucroni via ad „cauum oris patuiſſet." Cum cauſſam remotam forſan remouendam haud detegere poſſem, a ſolo opio, et quidem laudani liquidi forma adhibito, auxilium petendum erat, cuius primo guttulae ſex quouis ſemihorio porrigebantur, adeo vt intra 24 horarum ſpatium drachmae tres conſumerentur. *Tertio* morbi die nihil mutatum fuit. *Quarto* ſudor, pulſus paulo celerior aluusque obſtructa inueniebatur. Duo clysmata emollientia ordinaui et remedii iamiam dicti doſin, duabus guttulis auxi, ita, vt intra 24 horarum ſpatium drachmae quatuor biberentur. *Quinto*, inter eandem valetudinem eadem quoque remedia ſolita doſi adhibui. *Sexto*, pulſus mollis atque tardus fuit, aluus autem, quae data olei Ricini vncia una ſoluebatur, obſtructa. *Septimo*, ſymptomata iam tantopere imminuta erant, vt emproſthotono haud redeunte iam digitus auricularis dentibus interponi poſſet; at opiſthotonus cedere nolebat, quamobrem clysmatum atque opii vſus continuabatur. Ceterum ſequentibus diebus omnia eadem manebant, donec duodecimo, ob ſtomachi repletionem febremque inde enatam opii loco tartarus emeticus cum radice Ipecacuanhae vomitus concitandi cauſſa da-

retur.

retur. Ter vomitu inde fecuto aluoque fexies refoſoluta, ftatus aegroti melior fiebat. Sic decimo tertio die praeter potiones acidas, fudorem aluumque cientes nihil dabatur. Die fequente, poftquam omnia fymptomata febrilia difparuerunt, vfus opii denuo in eadem, qua iam adhibitum fuit, dofi continuabatur. Die decimo quinto multum leuaminis apparebat, quamobrem, laudani liquidi dofi quouis die duabus drachmis adaucta, balnea tepida adhibebantur. Quibus factum eft, vt iam fequente die maxilla inferior a fuperiore magis diduci poffet atque opifthotonus multo lenior fieret. Die decimo octauo, inter continuum opii vfum denuo balneum tepidum, poftea quouis die tertio repetitum, haud fine magno fructu ordinatum fuit. Die demum vigefimo tertio, obftructionis alui denuo fubortae cauffa, opii loco duae olei Ricini vnciae fumebantur. Die fequente Laudani reuocati dofin ad vnciam vnam quotidie fumendam adauxi atque balnei tepidi vfum continuaui. Salute inter haec fenfim redeunte, quandoque tantum tenfio circa dorfum vix fenfibilis apparebat, quae vnguento neruino, addito opio, cuti fedulo infricato tollebatur. Idem vnguentum etiam circa maxillae articulationem infricabatur, quo facto malum intra paucorum dierum fpatium ceffauit.

§. VIII.

Obferuatio II.

Puer 4 annorum iam tribus diebus trismo remittente laborauit. Abfceffu demum in pollice pedis dextri inuento et aperto, malum ex toto difparuit.